

§. III.

Verùm licet memorati jam Philosophi operose nitantur opinionem suam confirmare, vix tamen quicquam obtinebunt ob momenta Membr. 2. §. 1. adducta. Ex superfluo addimus, ex totali absentia effectuum seu facultatum Animæ Rationalis nos firmiter concludere posse ad absentiam Rationis ipsius tanquam fontis omnium atque originis. Notum enim est Intellectum in Bruta minime cadere, quia is totus ordinatur ad veritatem obtinendam, quâ obtentâ quiescere demum incipit; hinc nec deliberare proprie dicuntur. Actiones illæ, quibus se equi atque canes ad pugnam parant, aut grues alternatim custodes emittunt uni insistentes pedi, ut eò sint vigilantiores, nullã plane sapiunt vel rationem vel deliberationem, sed cognitioni naturali sunt adscribendæ, quæ docet pericula vitanda & vitam omni modo contra injurias esse defendendã. Idem Judicium esto de Voluntate, quæ, quoniã Libertas deest, neque in potestate habent Bruta ut accipere aliquid aut rejicere possint, pari ratione iisdem denegatur. Animæ rationalis eam solummodo potentiam aliquam primariam esse novimus, hinc unius subjecti proprium per se, alteri vix poterit appropriari. Neque Affectus Brutis concessi, quales communiter sunt Amor, Lætitia, Ira & alii, nobis hæc in parte contradicent, cum sint merè naturales non voluntarii. Eodem modo & Risus ut rationis consequens, hic erit alienus. Ridet quidem cuculus, ridet psittacus, sed, monente B. Sperlingio, hic risu artificiali, ille more magis & ineptiis quam risu vero, perinde ut multi homines imitantur latratum canum, porcorum grunnitum, & cantum gallorum. Inter speciem itaque seu imaginem & rem ipsam, magna latet differentia. Neque Numerare Bruta dicuntur, nisi forte per accidens, certis signis assefacta. Sentiant quidem paucitatem præ multitudine ingenti, sed negatur